



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die sexta Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Die sexta Augusti.

De beato Schetzalone, qui & Gisfle-nus, eremita.

Ex Achardi narratione manuscripta, & ex parte impressa in Speculo exemplorum, dist. 3. cap. 30. Iterum lib. 3. de initio Cisterciensium, cap. 20. & litteris Ioannis Bertels Louaniensis, Praelati Lutzenburgensis monasterij,

S Lebusrod apud Coloniam Agrippinam memoria beati Gitzelini, qui invocatur aduersus morbum pustularum & morbillorum, & in capella, vulgo dicta *sint Gisèle capelchin*, sub altari magnum fontem habet, languentibus salutarem. Pingitur cum galero pastorali, & duobus porcis. Fuit enim subulcus. Qui cum quodam tempore vellet visitare ecclesiam beatæ Mariæ Aquisgrani, fertur pecora sua Domino Iesu commendasse, eoque absente conuicaneos conspexisse aliquem qui in eius specie absentes vices suppleret. Sed haec ad Coloniensem pertinent metropolim.

Fuit autem alias Gisflenus, quem Scetzalem cognominarunt, cuius depositionis dies ignoratur, memoria tamen eius apud Lutzenburgenses, Belgis annumeratos, nunquam desinet.

Hic siquidem, Achardo teste, seminudus, & brutorum esca viens, quatuordecim annis oberrauit, quatuor tamen annis postremis, rigorem propositi nonnihil relaxans. Beatus itaque Bernardus audita virtute conuersationis salutauit eum per Achardum monachum suum, qui multorum cœnobiorum initiator fuit, & eo missus erat ut cœnobium constitueret, quod Claustrum dicitur. Cuius viri exemplum sœpe Achardus neophytis suis referebat. Imminente die dormitionis ad propinquam villam accessit, ubi percep-
pto Cor-

pro Corpore Domini, lætantibus Angelis animam reddidit. Super corpus autem beatum, noua ecclesia est ædificata. Postea translatum est inde corpus ad nobile castrum Lucemburgum, & in ecclesia beatæ Mariæ tumulatum, ubi multis beneficijs & miraculis claruit. Et hactenus ex libro de initio Cisterciensium. Cui quædam subijciam quæ à Prælato Luxemburgensi accepi. Sic enim ad me scripsit. Monasterium nostrum in quo vir Dei requiescit, dirutum est, imo solo adæquatum ab annis triginta tribus. Interim audiui sæpius ab his qui monasterium inhabitarunt, sæpius quæ genua ante sepulchrum eremitæ flexerunt, qui proprio nomine Gisilenus dicebatur, & in maxima silua propè Luxemburgum habitauit, quæ idiomate Germanico *Gruenen-wal* appellatur, in qua fons pulcherrimus ex rupe exilit qui *Scherzelborn* vocatur, & quia apud hunc habitabat, à communi populo *Scherzel bruder* nominatur, à Latinis frater Scherzel. Præter herbas & radices nihil comedebat: præter aquam non sciebat aliū potum: præter cilicium non habebat aliam vestem. Hic dum multis annis Domino sic seruisset, nemine praesente obdormiuit in Domino. Cuius corpus adhuc requiescit in loco desolatae ecclesiæ.

Septima die Augusti.

De S. Victorio episcopo Rhotomagensi.

Ex Paulino, Nolano episcopo.

IN Gallijs, ciuitate Rothomagensi, depositio sancti VICTRICI, præsatæ vrbis episcopi & confessoris. Qui claruit tempore Innocentij primi. Huius enim exstat ad eum decretalis epistola secunda. Estque præsentí libro inferendus, quia sanctus Paulinus Nolæ episcopus, in secunda ad eum epistola, refert quid Belgio nostro præstiterit. Initio Cæsari militabat, & castrensi labore robur corporis exercebat, sed re-

Y pente